



F  
D  
IN  
A  
I  
C  
D  
S. S.  
A

I. N. J.  
DISSERTATIO ACADEMICA,  
QVAM  
ADSPIRANTE DIVINA GRATIA,  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO PRINCIPE REGIO AC DOMINO,  
DN. FRIDERICO AVGVSTO,  
ELECT. SAXON. HEREDE,  
DE  
INSIGNI DIALECTICAE  
AC PHILOSOPHIAE  
PRIMAE VSV IN LIBRIS  
SYMBOLICIS,  
ET  
CERTITVDINE THEOLO-  
GIAE NATVRAE  
IN ALMA LEVCOREA  
PRAESIDE  
DN. M. IO. IAC. Ferber / ARGENT.  
S. S. THEOL. CAND. ET AMPLISSIMI ORD. PHILOS.  
ASSESS. DIGNISSIMO  
AD DIEM VII. MART. M DCC VIII.  
PVBLICAE DISQVIVISIONI SVBIIICIT.  
AVGVSTVS GILBERTVS,  
LIEBENWERDA-SAXO. S. S. THEOL. ET PHIL. STVD.  
IN AVDITORIO MAIORI

KITZBERG C. P. B. C. G. C. P. S. A. N. O.

DISSERTATIO ACADEMICA  
AD SPIRITUM SANCCTUM  
R. HONOR. MAG. FRIDERICI  
DR. FRIDERICI AUGUSTI  
INSTITUTI DIALLECTICAE  
AC PHIL. THEOL.  
PRIMARII  
CERTITIT THEOLO  
GIAE  
IN M. J. A. ARGENT  
ORD. PH. ROS  
S. P. B. S. P. S.  
M. J. A. ARGENT



05 H 684





## PRAEFATIO



On dubito, quin animum Lectoris scrupulis implicare possit, id quod contra *Philosophiam Artemque Sylogisticam* Primitivae Ecclesiae Patres magna saepe animi commotione differuerunt; quo non solum haereses ex *Philosophia* derivare, sed etiam *Philosophos* haereticorum Patriarchas appellare non dubitarunt.

*Tertullianus* certe seculi secundi scriptor *lib. I. adversus Marcionem*, omnem haeresin de *Philosophorum* ingeniis animari scripsit. *Origenes* seculi tertii Pater, allegoriis nimium delectatus, *homilia quarta ad caput septimum Exodi*, ciniphes & ranas, quibus Aegyptii percussi sunt, exposuit de vana *Dialecticorum* garrulitate & *Sophisticis* argumentis. Nec mitior est *Ambrosii* seculi quarti Doctoris Latini sententia, qui *lib. VII. de Fide cap. III.* Arium omnem venenorum suorum vim in *Dialectica* disputatione constituisse, testatur. *Gregorius Nazianzenus* eodem seculo florido dicendi genere clarus, in oratione de modestia in *Disputationibus servanda*, graeco idiomate paria caeteris haec habet: τῶν χρυσίππυ συλλογισμῶν διαλύσεις, τῶν ἀριστέλης τεχνῶν κακοτεχνίαν, ἃ Πλάτων & εὐγλωττίας τὰ γοητεύματα κακῶς εἰς τὴν ἐκκλησίαν εἰσεφέρησαν. Quae ita interpretari libet. *Sylogismo-*

*rum Chrysippi solutiones, Aristotelici artificii insanam artem, & Platonicae facundiae praestigias, male in Ecclesiam indixerunt. Quis quaeso non ad haec Patrum dicta horreat? quisve non execretur impiam artem, qua Vnitas Dei a Marcionitis, & Divinitas Filii ab Arianis nequissime impugnata est? Sane si haec omni jure in Philosophiam & Dialecticam ipsam potius, quam in abusum ejus perverfamque explicationem dicta fuissent, ultro ipse Philosophiam, in eaque ratiocinandi artem & Primam Sapientiam timidior fugerem, quam Moses baculum suum in anguem conversum. Ne vero quis existimet, me cum B. Gerhardo de methodo studii Theologici ex ingenio haec ad abusum tantum artium illarum revocare, ut merces meas sub insignioribus titulis tanto carius divendere queam, licebit, spero, ex iisdem Ecclesiae purioris Doctoribus haec confirmare, exemplo Doctor. Gerhardi & Calixti introductione in studium Sanctae Theologiae, inque prolegom. Epitom. Theolog. Augustinus, aetate & eruditione proximus Hieronymo, qui quarti & quinti seculi confinia comprehendit, lib. II. de Doctrina Christiana, quo viam praeivit explicandae & intelligendae scripturae, quidam, inquit, plerumque retinentes veram sententiam, male se contemnunt, quia leges conclusionis ignorant. Cumque ab Episcopis Donatistis & Cresconio (ut ex primo libro adversus hunc videre est) reprehenderetur, quod dialectice disputaret, atque eapropter fugiendus, non refellendus diceretur, respondit Cresconio lib. I. cap. XIII. Sed Tu, videlicet Dialectica non uteris, quum contra nos scribis. Vt quid te ergo in tantum disputandi periculum coniecisti, quum disputare non noveris? aut si nosti, cur dialecticus dialecticam criminaris? ita vel temerarius, vel ingratus, ut aut imperitiam, qua vinceris, non refrenes, aut doctrinam, qua judaris, accuses? Haec eruditissimus Pater, qui, ut calumniam a Donatistis sibi intentatam, depelleret, cap. XIV. exemplo Pauli, & cap. XVII. ipsius Servatoris ostendit, licere omnino imitatoribus illorum dialectice disputare, e quibus infert cap. XIX. cogeris fate-*

*fateri, non recte Episcopos Vestros, quos doctos atque sapientes  
 putas, etiam cum Dialecticis nolle habere sermonem, quo indi-  
 etam doceant veritatem. Et si quis adhuc animo haereat, an  
 Dialecticam ipsam probet Clarissimum Ecclesiae Lumen, eum  
 de sententia sua certissimum reddent verba cap. XX. Hanc  
 artem, quam Dialecticam vocant, nunquam Doctrina Christiana  
 formidat, sicut eam in Stoicis non formidavit Apostolus Actor.  
 XVII. Vers. 18. quos secum volentes conferre non respuit. Hinc  
 ad Primae Philosophiae laudem, quam maxime pertinet, quod  
 ejusdem vocibus usus est Augustinus lib. VII. Confessionum cap.  
 XII. & XV. & de Vera Religione Cap. X. Deus prima atque sum-  
 ma essentia, ex qua est omne, quicquid est, quia in quantum  
 est, quicquid est, bonum est. Recentiorum elogia & testimo-  
 nia hanc in rem cumulanda non puto, eo, quod animus non  
 est, aliorum verbis has Disciplinas prolixius commendare,  
 sed potius e re ipsa earundem necessarium demonstrare u-  
 sum, quandoquidem meum nunc esse scio, monstrare, quo-  
 modo Dialectica sive Logica, & Philosophia Prima sive Metaphy-  
 sica ad illustrationem, propagationem & conservationem  
 verae Religionis & doctrinae utiliter accommodandae & u-  
 surpandae sint. Non eo quidem progredi fas esse existimo,  
 quo Fortun. Licetus in tractatu de pietate Aristotelis, erga De-  
 um & homines, Innocentio X. Pontifici Maximo inscripto, qui  
 Aristotelem asseruit cognovisse Mysterium Trinitatis, mo-  
 dumque credendi humano sublimiorem, notas etiam ha-  
 buisse revelationes Divinas, aeternae vitae contemplationem  
 in visione Dei consistere, adeoque Aristotelis salutem animae  
 vere colligi posse. Huc, inquam, non applicabo animum,  
 veritus, ne Aristoteles ex orco redivivus, mox sit recidivus  
 in orcum. Sed quemadmodum ex scriptis Venerabilis Bedae  
 seculi octavi Doctoris pii, Coloniae anno M DC IX. collecta  
 sunt axiomata philosophica, ita usum Dialecticae & Philosophiae  
 primae ex libris nostris Symbolicis hac quidem vice sum colle-  
 cturus, exhibita forma, qua disciplinae hae reliquarum etiam*

Facultatum exemplis explicari possunt. Quum enim *B. Calovio* aliisque *Metaphysicam Divinam* eodem exemplo scribere, non incongruum visum fuerit, mihi, spero, nemo vitio vertet, si *insignem Dialecticæ ac Philosophiæ Primæ usum in libris Symbolicis* brevibus sum delineaturus, simulque firmis probaturus argumentis ipsam *Theologiæ naturalis certitudinem*. Caeterum præsens hic labor optime in tria dispecsi poterit capita, quorum primum DIALECTICÆ, secundum vero PHILOSOPHIÆ PRIMÆ usum insignem aperiet in *Libris Symbolicis*, & denique tertium THEOLOGIAE NATVRALIS CERTITVDINEM tradet.

Veni Sancte Spiritus,  
Et emitte coelitus  
Lucis tuæ radium.  
Veni Dator munerum,  
Rege in perpetuum  
Animum & calamum.

---

## CAPVT I.

### I.

**E**Xercitissimus in Theologia Polemica Doctor alterque Hieronymus *B. DANNHAVERVS* in *Theologia Conscientiaria pag. 403.* ad Verbum Dei recte intelligendum & defendendum in Doctore etiam requirit *Dialecticam*, non tristem illam, fuliginosam & abstractivam, sed usualem verèque analyticam, quae saepe quidem laudatur, sed plerumque in proeliis alget. Hanc ex *Symbolicis Libris* hac vice pro ingenii viribus expositurus sum. Miratur equidem *Apolo-gia. pag. 135.* novam illam *Dialecticam*, qua audito vocabulo mercedis, excludatur Christus & fides, quod *ἀνακόλυστον* esse ostendit. Et *pag. 222.* Lectorem jubet attendere *Dialecticam*  
& ar-



& artificium ratiocinandi ex scripturis, prorsus quicquid libet, cujus *Dialecticae* quaestiones a controversiis Theologicis abesse voluit pag. 53. Verum hanc tradere non animus est, sed sanam illam, juxta cujus regulas & *Augustinus* peccatum originis *accidens* esse dixit, & sine ulla haereseos suspitione ita locuti sunt viri docti, nusquam a B. nostro *Megalandro Doct. Luthero* aliisque reprehensi, teste *Form. Concord. pag. 652.* Quemadmodum vero nomine usi sunt antiqui Doctores, ita & rem ipsam non improbarunt, hinc intelligere licet, quanti usus sit, nosse, quid per *concretum* intelligatur? ut *B. Lutherum* dicentem, totam *substantiam* esse peccatum, nec Manichaeismi, nec Flacianismi infimules, qui juxta *Form. Concord. pag. 651.* complexus una *subjectum*, in quo peccatum infixum haeret, non ipsum peccatum, sed ejus *subjectum substantiam* appellavit. *Abstracti & Concreti* terminos in propositionibus personalibus necessario retineri in Scholis eruditorem, non solum falsa est *Form. Concord. pag. 837.* sed & Sanctos veteres & purioris Ecclesiae Patres per vocabula *abstracta* de hoc Mysterio loqui, probavit pag. 849.

## II.

**C**VM bona opera a quibusdam dicerentur, non esse *necessaria*, sed *libera*, *Formula Concord. pag. 699.* notavit, hanc controversiam ex *aequivocatione* vocabulorum originem traxisse, quod quis facile intellexerit, dicens: initio hanc controversiam ex eo motam, quod *necessarium & liberum* multis tribuatur diverso modo, ut aliis res ipsa, aliis solum nomen commune sit. In gravi illa quaestione, quid sit Sacrificium? quam maxime necessarium judicavit *Apologia pag. 253.* constituere *genus* Sacramenti & sacrificii, quod utrique secundum naturam ex aequo competeret, unde vocavit ceremoniam vel opus Sacrum, Sacramentum quidem, quo nobis Deus, sacrificium vero, quo nos Deo aliquid offerimus. Intellectu facillima sunt *Dialecticae* gnaro, quibus veram humani-

manitatem Christi *Form. Concord. pag. 648. & 871.* expresfit, docens cum *Paulo Hebr. 2.* Christum eandem naturam (excepto peccato) ejusdem *generis speciei & substantiae* cum nostra assumfisse; Ex *Logica Arte* enim constat, Humanam Christi Naturam ejusdem *generis & speciei* esse, ideo quod fit & animal rationale, ubi homo animalis *species* per τὸ rationale distinguitur ab aliis, quemadmodum Petrus & Paulus distinguuntur a brutis. E Scholasticorum tricis de Justificatione haud facile quisquam se extricabit, lecturus in *Formula Concord. pag. 62.* actus voluntatis ante habitum gratiae & justitiae, & post illum ejusdem *speciei* esse, nisi qui noverit, quid *species* notet Philosophis? quid *habitus* gratiae Scholasticis soleat significare? Ut porro occurrere quis possit eorum objectioni, qui *pag. 603. Form. Concord. proprietatem* humanae naturae in Christo substantiali corporis & sanguinis Christi praesentiae in S. Coena opponunt, necesse est sciat, quid *proprietas*, quidve *proprium* dicatur? & haec non egredi sua *subjecta*, juxta *eandem pag. 769.* per separationem & transfusionem, attamen communicationem factam esse propter unionem in Christo personalem.

### III.

**P**raedicatio etiam ex *Praedicabilibus* instituta docet nos, cur inusitatae sint in Scholis Dialecticorum *propositiones & praedicationes*, hoc est corpus meum, *Form. Concord. pag. 736.* Deus est homo, homo est Deus, juxta *eandem pag. 772.* eo quod non sequantur modum Porphyrianum in *praedicabilibus* definitum, qui ex naturalibus rebus dicendi occasionem & originem sumpsit. Si audiatur transubstantiatio, sine cognitione *substantiae* nemo eam intelliget; Et sane *Augustinus* ipse ob nullam aliam causam hunc in modum scripsit? *omnis substantia, quatenus est substantia; aut Deus ipse est, aut opus & creatura Dei,* quam ut hac regula evertere voluerit haer. *sin Manichaeorum, peccatum esse substantiam,* a Deo malo  
 ort m

ortam, fingentium, quam regulam & in certamine *Flaciano* *Libri Symbolici* adhibuerunt. Doleret, credo *Flacius*, si adhuc viveret, quod ex ignoratione terminorum *substantiae* & *accidentis*, Peccatum originis *substantiam* esse dixit, non secutus hac in re exemplum *Ambrosii*, *Augustini*, *Cyrilli*, & *aliorum*, qui cogente necessitate in explicatione articuli de peccato originis, vocabulis hisce in genuino suo sensu contra haereticos usi sunt, teste *Form. Concord. pag. 651*. Acris olim, & adhuc hodie ardua agitur quaestio, an corpus Christi possit esse in omnibus locis, ut non *circumscribatur*? *Form. Concord. pag. 753*. respondit: cum in his terris conversaretur, certo loco secundum quantitatem suam *circumscriptum* fuisse; At Humanitatem Christi *localiter extensam* esse in omnia coeli & terrae loca, constanter negavit *Form. Concord. pag. 787*. scilicet ex ipsa definitione *quantitatis* negata est quaestio de corpore Christi glorioso in statu exaltationis.

#### IV.

**R**efuscitata a *Paulo Samosateno* Antiochiae Episcopo, homine callido, funesta haeresi *Artemonis*, cum clarissima Ecclesiae Lumina in denudanda ejus haeresi & blasphemia laborarent, *qualitatis* vocabulum docuit, ipsum hostem Trinitatis non credere, Filium & Spiritum Sanctum personas esse, sed verbum prolativum & nomina nuda, recte proin damnatum a Patribus Antiochiae congregatis, & ab ipsa *Augustana Confessione artic. I*. Et non facilius quis refutabit hodiernos errores, fingentium, *qualitates finitas* esse, quibus excellit Christus ad dextram Dei, juxta *Form. Concord. pag. 774*. nisi qui noverit, *qualitatem* ut *accidens*, non posse conferre *infinitam* illam operandi virtutem, quam Christus etiam homo exercet. In articulo Justificationis Paulum *correlative* connectere promissionem & fidem *pag. 69. Form. Concord.* & esse haec *correlativa*, itemque promissam misericordiam requirere fidem *correlative pag. 129. Apologia*

B docet.

docet. An vero haec dextre explicari possint? ignorata *relatorum* natura, valde dubito: Sed si quis sciverit *relatorum* eam esse naturam & conditionem, ut unum per naturam suam petat alterius coexistentiam, intelliget facile, fidem propter promissam applicatamque misericordiam justificare, neque fidem sine illa, aut hanc sine fide homini prodesse.

## V.

**A**ctio, quae est ipsa operatio agentis, haud difficulter declarat regulam Theologicam pag. 750. in *Form. Concord.* expressam: *Nihil habet rationem Sacramenti extra actionem divinitus institutam.* Et si cognitum fuerit, quid Passio sit *Dialecticis*? facile est intelligere *B. Lutheri* verba, quibus hinc inde utitur, hominis voluntatem in conversione pure *passive* se habere, atque sic contritionem respectu hominis non *activam* sed *passivam* esse, secundum *Artic. Smalcald.* pag. 320. Vbi innuitur, Gratiam Spiritus S. Divina sua virtute & operatione immutare & renovare hominis voluntatem, & tum demum novam illam voluntatem instrumentum esse Spiritus S. quod accepta gratia in operibus sequentibus Spiritui Sancto cooperetur. Qui peccatum originis cum *Pelagianis* pag. 640. & 642. *Form. Concord.* extenuare solent, nudam *privationem* esse contendunt, id quod Theologi refellunt; *Dialectica* vero, nudam *privationem* seu absentiam & defectum non posse se majorem effectum producere, docet. Vnde non *privationem puram*, sed & *habitum* quendam corruptum esse, hoc est, non tantum corruptionem qualitatum corporis, sed etiam pravam conversionem ad carnalia in superioribus viribus, docet *Apologia* pag. 55.

## VI.

**I**n *Topicis*, locus argumentorum est a *notatione nominis*, quem apud alios, minus recte adhiberi, nos itidem monet *Form. Concord.* pag. 269. cum ita dicit: *Adversarii nos etiam*

redo.

*redocant ad Grammaticam, sumuntque argumenta ex appellatio-*  
*nibus.* Sed quam haec argumenta non concludant, nisi no-  
 men ipsum & appellatio rei denominatae propria sit, exem-  
 plis declarat, quod *Dialecticus limitationibus* suis observat.  
*Similitudines*, si non ultra tertium extendantur, ad declaran-  
 dam rem apprime conveniunt, juxta pag. 147. *Form. Concord.*  
 at si extra scopum adhibeantur, inepte *similitudines* allegan-  
 tur, tanquam demonstrationes, sicut *Form. Concord.* loqui-  
 tur pag. 241. Et cum de dissimilibus *dissimile judicium ferendum*  
*esse*, *Dialectica* moneat, hinc ab exemplo Rechabitarum ad  
 Monasticam, tanquam *dissimile*, argumentum validum duci  
 posse, negat *Apologia* pag. 290. Ad depellendam etiam infamiae  
 notam, quam nonnulli doctrinae nostrae de bonis o-  
 peribus inurere conati sunt, id maxime omnium insigne  
 est, quod ex necessaria connexione *causae & effectus, antec-*  
*edentium & consequentium* depromsit argumenta *Formul. Con-*  
*cord.* pag. 692. Quemadmodum enim *effectus* a *causa* separari  
 nequit, neque *consequentia* sine *antecedentibus* esse possunt,  
 ubi est necessaria copula; ita fides vera nunquam stare pot-  
 est cum malo proposito, sed ex justificatione ut *causa ante-*  
*cedente*, bona opera, ut fructus & *effectus consequens*, necessario  
 sequuntur. Multi persuasum sibi habent, se & mundo & Deo  
 fervire posse absque *Dialecticae* ignominia. At quam vanum  
 hoc sit, exemplis, a *Contrario* sumtis, explicuit *Form. Con-*  
*cord.* pag. 404. ostendens: & hoc esse Deos sibi alienos habe-  
 re coram Jehovah. Et ita quidem *artificialibus* his argu-  
 mentorum *locis* etiam uti, necesse esse, his exemplis *Libro-*  
*rum Symbolicorum* tam abunde probatum, ut de *inartificiali*  
*loco a testimonio*, ad quem provocat *Form. Concord.* pag. 159. ni-  
 hil quicquam adjiciendum existimem.

## VII.

**P**hilosophus περὶ σοφιστικῶν lib. I. cap. II. inquit, ἡ σοφιστικὴ ἐστὶ  
 φαινόμενη σοφία, ἴσα δὲ μὴ. καὶ ὁ σοφιστὴς χρηματιστὴς ἀπὸ φαινο-  
 μένης

μέγας ἀλλ' ἐν ὄνομα. hoc est, Isaaco Casaubono interprete, *Sophistice est Sapiaentia quae videtur, cum revera non sit. Et Sophista est, qui quaestum captat ex ea Sapiaentia, quae videtur esse, nec est.* Si quis antiquae Sapiaentiae studiosus, quos *Aristotelicos Casaubonus* vocat, haec in memoriam revocaverit, facile intelliget, quid sibi velint *Libri Symbolici*, quando undecim locis de *Sophistis* conqueruntur, quorum etiam nomen ponere *Formula Concordiae* dignata fuit. Sed non tantum homines istos notavit, qui imperitis imponunt juxta Philosophiam, verum & arguit *fallaciam a non causa ut causa*, eorum, qui ex loco Petrino: *studete firmam facere vocationem vestram bonis operibus*, concludunt, bona opera mereri remissionem peccatorum, ut appareat, ab ejusmodi hominibus id, quod *causa conclusionis* nequaquam est, allegari tanquam veram *causam*, ex qua sequatur ipsa positio adversariorum.

## VIII.

CUM vero hic *elenchus* in integra *propositione* consistat, etiam utile est, nosse, quid *propositio* sit? scilicet oratio, in qua verum vel falsum est, in qua & *praedicatum* & *subjectum* occurrit, e quorum consideratione tanto facilius est ferre iudicium de istis *propositionibus*, in *Form. Concord.* pag. 704. improbatis, *Bona opera sunt necessaria ad salutem*, cum scilicet *subjectum* & bona opera influxum causalem, & praesertim meritorium, ad salutem nullum habeant. Sunt in his *propositionibus* plures, quae in signo *quantitatis*, aliae quae in re ipsa consentiunt, illas *formaliter Logicae aequipollentes*, has *materialiter* tales appellavit acutissimus *Logicus B. DANNHAEVRS*, sed & *materialiter* aequipollentes dicit *Form. Concord.* pag. 684. & quod docet, unius Mediatoris Christi obedientia nos justificari. Vnde *Logicus* colliget, ab una ad alteram valere consequentiam. Liqueat ex his dictis magnum esse usum, nec minorem necessitatem in *particulis exclusivis*, vel *reti-*

retinendis, vel explicandis, quae de fide, ut causa justificationis instrumentali enunciatae, nemini displicere possunt, nisi qui etiam ex *Paulo exclusivas* tollere, temere praesumat, monente *Form. Concord. pag. 73. & 87.* quas tamen tanto Zelo tantaque diligentia *Paulus* in articulo justificationis urget, teste *eadem pag. 683. & 691.* non minus quam in articulo de salute aeterna consequenda juxta *pag. 695.*

## IX.

**I**Nter *propositiones* quaedam certo modo verae sunt, quas *limitativas Dialectici* vocant, ut, dilectio & opera sunt virtutes & Justitiae legis, quatenus sunt impletio legis, juxta *Form. Concord. pag. 93.* simpliciter tamen dilectio vel impletio legis vel justitia legis dici nequit, verum in tantum solummodo, in quantum est dilectio conformis Legi Divinae, a qua omnibus commendatur. Docent *Dialectici propriam comparativam propositionem* explicandam per adverbium *melius*, vel *magis*, *impropriam* vero per oppositum, exemplo rem ipsam manifestam fecit *Form. Concord. pag. 239.* ubi *Paulinam* allegat *propositionem*, *melius est nubere, quam uri*, quo & mandatum nubendi continetur, & nubere bonum esse evincitur, unctionem vero peccatum longe maximum, quae *comparatio impropria* nubere bonum esse, uri vero malum, demonstrat. Conqueritur *Form. Concord. pag. 118.* male transferri particulam universalem ad unam tantum partem in ista propositione, omnia erunt munda datis eleemosynis, si *Dialecticam* quis calleat, sine mora de responsionis pondere cogitabit, quod *universalis particula* totam naturam seu omnia inferiora ejus, cui additur, subjicit. Qua ratione, propositio ista, sine fide est impossibile placere Deo, *universalis sententia* est *Form. Concord. p. 110.* quae totam legem interpretatur.

## X.

**A**ccidit saepissime, ut ex truncatis Nostrorum sententiis dicta veritati parum congrua eliciantur, quare *Hermeneutica*

*neutica Dialecticae praeceptum tradit, Incivile esse, nisi tota lege perspecta, una aliqua particula ejus proposita, judicare vel respondere.* Qua regula *Dialectica* sese munivit pariter & objectiones contrarias de *Justificatione* plurimas solvit *Form. Concord. pag. 117.* Ex *praemissis propositionibus*, cum aliquid necessario infertur, *argumentum* vocari consuevit, quae doctrina adeo non evilit *Libris Symbolicis*, ut potius integro *argumento* probaverit *Apologia pag. 73.* nos sola fide in Christum remissionem peccatorum consequi. *Imperfectas argumentorum species* eadem proposuit *pag. 101. consequentiam vitiosam* exhibens, & *sortem* illum, quo merita supererogationis probare quidam, sed infelici successu, nituntur, damnat & ridet eadem *pag. 136.* eo quod *propositiones* ejus coarctatae non *per se*, sed *per accidens* tantum connectuntur juxta *Logicos.* τὸ βίαιον, cum adversarii ratio in ipsum retorquetur, *Form. Concord. pag. 131. ἀντίπεφον* appellavit, quo adversarii utuntur *ad Luc. XVII. vers. 10.* Si feceritis omnia &c. ac retorquentes in nos contra fidem pro operibus, sed vitiosum esse docent Theologi, & demonstravit *Apologia*, puerile studium *Sophisticæ* vocans hanc retorsionem.

## XI.

**P**ars *Logicae Specialis ἀπόδειξις* complectitur seu *demonstrationem*, qualem exemplo optimam dedit *Apologia pag. 123.* contra quam nihil opponi possit, necesse est, fidei tribuere justificationem, cum non justificemur coram Deo ex lege, sed ex promissione; Ita homini illuminato haec principia sua luce radiare, non male judicaverunt pii Majores. *Demonstrationis* explicatae finem faciunt *scientiam*, quam alio nomine *methodum* appellari *B. DANNHAVERVS* in *Epitom. Dialect.* notavit. Et certe nec hanc quis frustra requisiverit in *Apologia.* Locus enim de conjugio sacerdotum optimo *ordine & methodo* (1) παρασκευῆ (2) κατασκευῆ (3) ἀνασκευῆ absolvitur. Quin & in ipsa *Epitome* articulorum controversorum, omnes pariter



pariter articuli iuxta *metodo* exponuntur, praemisso statu controversiae, quem sequitur sententia affirmativa sive thesis, tandemque hanc excipit negativa seu antithesis rejecta. Et quanta solitudine controversiae statum *Concordiae Liber* semper attendat, ex articulo de Ecclesia pag. 152. de Missa pag. 257. de iustitia fidei coram Deo pag. 688. de Coena Domini pag. 725. abunde patet legenti.

## XII.

**M**edia tandem *demonstrationis*, unusquisque e *Dialectica* edoctus, absque difficultate intelliget, cur veterem peccati originalis *definitionem* admittat *Apologia* pag. 54. eo quod paucis exprimit, omne quod propter alios hodie prolixius explicandum est. Cur itidem rejiciatur alia *definitio* de Ecclesia habente potestatem *ἀνοκένδρον* pag. 149. aliaque iterum de satisfactionibus Canonicis ad placandam Divinam offensam pag. 184. De *Divisione* altero *demonstrationis* medio non possum hic, quin in fine subjiciam insignem locum *Apologiae* pag. 253. de quaestione, quid sit Sacrificium? ita vero illa: *Socrates in Phaedro Platonis ait, se maxime cupidum esse divisionum, quod sine his nihil neque explicari dicendo, neque intelligi possit, ac si quem deprehenderit peritum dividendi, hunc inquit se affectare, ejusque tanquam Dei vestigia sequi. Et jubet dividendum in ipsis articulis membra secare, ne quod membrum mali coqui more quassatum frangat. Sed haec praecepta adversarii magnifice contemnunt, ac vere sunt juxta Platonem ναυὸν μάγειρον.* Sed sufficient vel pauca haecce, e quibus insignis ut spero, usus demonstratus est *Dialectices in Libris Symbolicis.*

---

## CAPVT II.

### XIII.

**N**on minor ipsius quoque *Philosophiae Primae seu Metaphysicae* necessitas & usus ex iisdem apparet, id quod hunc maxime

maxime in modum probatum dabo. Non vero hic nudas terminorum explicationes adducam, sed & fontes demonstrationum breviter indicare conabor. Ab errore Eutyichis nos liberare poterit *Essentiae* vocabulum, cum *Form. Concord. pag. 609.* docet: nos duas naturas in Christo, earumque proprietates non confundere, aut in unam *essentiam* commiscere. Sic enim nos subjectum operationum Divinarum non facimus naturam humanam in Christo per se, originale & formale, sed naturam Divinam, quae est principium primum & radicale omnium operationum & proprietatum, juxta definitionem *essentiae*, quam *Beatus Doct. Sebastianus SCHMIDIVS* in *Compendio suo Metaph.* proponit. Hoc vero fundamentum pari etiam modo *Schwenckfeldianos* refutabit, qui carnem Christi per exaltationem Patri & τῷ λόγῳ per omnia in gradu & statu *essentiae* omnino aequalem esse, falso contendunt. *Essentia* in perfectissimo entis gradu Synonymum habet *aliquid*, & oppositum, *nihil*: Vnde facile est judicare, quo sensu B. Lutherus dixerit in Catechismo majore *pag. 407.* Gentiles, idolis confisos, spem suam in mere *nibilo* reposuisse.

#### XIV.

**A**ffectiones porro entis constituunt primo *unitatem*, ut est *unitas* Ecclesiae juxta *Form. Concord. pag. 151. & 155.* quae *unitas* dissimilitudine rituum non tollitur, ut propterea ipsa Ecclesia sit in multas *divisa*. Ab *Vno* est *Vnio*, eaque vel Sacramentalis teste *Form. Concord. pag. 599.* cum reali praesentia Symbolorum ad rem Coelestem, vel Personalis, qua natura humana unitur cum Divina, ut suppositum unum unaque sit Persona, juxta *Form. Concord. pag. 736. & 764.* Ex eo, quid *Verum* sit? facile quis revelationem secutus, intelliget, quid *verus* cultus Dei? quid falsus? *Form. Conc. pag. 406. & 408.* Gentilium certe cultus *verus* non erit, quia cum Intellectu Divino non congruit. Cum enim a Deo *esse* suum non habeat, nec *veritatem* habebit, siquidem unum quod-

quodque inde habet esse *verum*, unde habet ipsum esse. *Per-*  
*fectum*, sive cum *Bono* unum idemque dicas, sive diversum,  
non morose hic repugnabo, coniuncturus tamen hic utrum-  
que brevitatis studio, *Apologia* certe pag. 104. ad objectionem,  
quando charitas dicitur vinculum *perfectiōis*, reponit, mul-  
tis modis de *perfectiōe* responderi posse, si *bonum* sit, quod  
*perfectiōe* convenienti praeditum, de Charitate absque er-  
rore utrumque dixeris, quae pro maiore vel minore gra-  
du, maiorem quoque vel minorem *bonitatem* sibi conveni-  
entem habet. Qua ratione & *Form. Concord.* pag. 286. vide-  
tur explicare dictum Veterum, Monasticam esse statum  
acquirendae *perfectiōis*, hoc est, acquirendae *bonitatis*, illi  
statui convenientis, quomodo nihilo magis erit Monastica  
status *perfectiōis*, quam vita agricolae aut fabri.

## XV.

**D**E Justificatione mota quaestione, quo ordine fides sit  
collocanda? *Apologia* pag. 72. respondet, non habere rati-  
onem *principii* eo sensu, ut sit quaedam praeparatio, & ef-  
ficiat justificationem, juxta illud ἀρχὴ ἡμῶν παντός. Sic ut ne-  
que initium praeparatio concedatur esse, neque *causa*, quae  
ex sua dignitate homines Deo gratos efficiat, sed ex solo ap-  
prehenso merito Christi. Alio deinde modo sensuque pag.  
499. verbum vocatur *principium* ingrediendi communionem  
sanctorum, respectu nostri, seu ex parte Dei medium, quo  
conversionem nostram Spiritus Sanctus operatur. Hoc ve-  
ro *principium causale* est, sicut pag. 799. explicatur; negatur-  
que, quod Praescientia Dei sit *principium* sive *causa* mali.  
Cum enim *principium* primarium *essendi* sit, unde aliquid de-  
pendet in *esse*, manifesta est demonstratio, praescientiam Dei  
mali *principium* esse non posse, cum id a Diabolo & per-  
versa hominis voluntate in *esse* & fieri dependeat, nequa-  
quam autem a praescientia Divina. Atque hoc ipso *Augu-*  
*stiana Confessio artic. XIX.* a nobis removet omnem Manichae-

C

ismi

ismi suspicionem, eo, quod *causam* mali Deum esse constanter negavit, & voluntatem malorum a Deo se avertentem *causam* esse confessa est. *Apologia pag. 87.* ait: *Lucae. 7. v. 46.* Christum, dicendo: *remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum*, locutum esse *κατὰ συνειδόχην*, complexumque eodem verbo *causam* & *effectum*. Certe *causam* hic nosse, necesse est, *principium* scil. quod dat alteri, ut sit, ita dilectio non effecit, ut esset remissio peccatorum, dareturque mulieri poenitenti, sed cum fides ipsam salvam fecerit, teste Christo, *effectui* seu dilectioni tribuitur salus, quam Christus expresse fidei adscripsit. Eodem prorsus modo ex natura *causae* & *effectus* eadem demonstravit solide *pag. 82.* male tribui *effectui* scil. dilectioni, quod *causae* potius seu fidei competit, atque hinc fidem rectius gratiam gratum facientem vocari, quam dilectionem, argumentata est. Appellavit aliquando *Form. Concord. Sacramentum, ritum pag. 205.* nudum autem ritum non esse, exinde concluditur, quod eundem *effectum* verbi & ritus esse dixit, scil. ferire corda.

## XVI.

**C**onversionem non a voluntate hominis, eiusque viribus pendere, docuerunt Theologi, & *Form. Concord. pag. 583.* duas *causas efficientes* ad conversionem efficaces esse dixit, Spiritum Sanctum, & Verbum Dei, quod est instrumentum Spiritus Sancti, quo conversionem hominis efficit. Certe sine *Metaphysica seu Philosophia Prima*, haec accurate nullus intelliget, unde cognito *Efficiens* esse, a quo res est in agendo, facile & illud apprehendet, Spiritum S. unicam & *principalem causam* esse conversionis, verbum vero tanquam *instrumentum*, viribus a Spiritu Sancto dativis, illud efficere. Et ne quis existimet, me peregrina voce usum, cum *principalem* dixi *causam*, certe eodem vocabulo usa est *Form. Concord. pag. 587. & 694.* quibus locis negavit adverbiorum antithesin, dicentium: fidem esse tantum *causam*  
prin-

*principalem.* Dum *Metaphysici* internas causas exponunt, *Materiam* primo loco tradunt, principium scilicet internum, ex quo res fit, quid igitur sibi velit? quando in *Apologia pag. 56.* Scholastici peccati Originalis *materiale* vocant concupiscentiam, facile est intelligere. Ignorantia certe terminorum horum causa justae querelae extitit *Apolog. pag. 59.* quod Scholastici pugnancia saepe dicant, nec *formale* peccati, nec defectus recte ac *Dialectice* expedientes. *Formam* Justificationis esse bona opera, negavit *Form. Concord. pag. 692.* si quis *formae* definitionem noverit, jam in promptu erit negationis ratio, quia scilicet bona opera non sunt id, per quod justificatio est justificatio. Fides, quae in justificatione requiritur, non nudae historiae notitia dicitur *Theologis, unde non satis est credere, quod Christus natus, passus & resuscitatus sit, nisi addamus & hunc articulum, qui est Causa Finalis historiae, remissionem peccatorum, quae verba sunt Form. Concord. pag. 69.* medium hinc eruere facile est, quo certitudo asserti constet. Cum enim *finalis causa* dicatur historiae, propter quam res est, patet, passionem & mortem Christi, non propter nudam notitiam factam esse, sed ut remissio peccatorum inde nobis impetraretur. Qua descriptione stante, etiam *finem* rituum & traditionum alium esse, *Form. Concord. pag. 209.* pernegavit, quam paedagogiam & admonitionem, cum non ob aliud Scriptura vel Ecclesia institutas esse doceat.

## XVII.

**C**Vm seculo tertio Manichaeorum furor omnia *necessario* fieri delirasset, revocato aliquando errore eodem, *Form. Concord. pag. 580.* eundem damnavit, quasi quae fiunt, aliter fieri non possent, & homo omnia coacte faciat, quibus *absolutam necessitatem* ex absoluto causarum nexu rejici, manifestum est, & simul illam, quae ad Politicam refertur, incogendo consistens, alias *violentia* dicta. Quanta de *necessitate*

tate bonorum operum certamina vexarunt Ecclesiam, omnibus constat; *Augustana vero Confessio & Form. Concordiae* eandem negavit nunquam; At vero *necessitatem* ad salutem concedere noluit pag. 689. Quo sensu etiam non probavit illam verborum formam, *impossibile est salvari sine bonis operibus*, id quod intelligere datur clarius, cum terminus e definitione sua resolvitur, salus ita non datur sine operibus, ut nec dari possit sine illis, quae propositio non tantum praesentiae, sed & *causalitatis necessitatem* infert, & ad minimum illud dicit, quod itidem Orthodoxia non admittit juxta *Form. Concord. pag. 693. bona opera esse causam sine qua non justificationis*. Improbata S. Coenae mutilatione Eccianas Thraonicas voces exagitant, *Form. Concord. pag. 235. Num, inquit, hae rationes excusabunt hos in iudicio Dei, qui prohibent partem Sacramenti, qui saeviunt in homines bonos, utentes integro Sacramento. Integrum facile Metaphysicus exponet, Sacramentum vero Theologus, scilicet iunctis his studiis, integrum Sacramentum dicitur, cui nulla pars deest, juxta Philosophum lib. 3. Physic. cap. 7. Pars vero est Sacramenti hoc loco essentialis & materialis, sine qua essentia Sacramenti esse non potest, propter ordinem Divinum, quo calix ad complendum Sacramentum Coenae Dominicae ordinatus est.*

## XVIII.

**I**N Epitome articulorum controversorum Scriptura Sacra recte dicitur *Norma, iudex & regula* controversiarum. Qui *Philosophiam Primam* callet, *normam perfectionis* hic indicari, facile animadvertit, e qua cognitio articulorum illorum dependet, atque sic ex ipsis terminis jam Veritas asserti intelligitur. Cum enim articulus fidei a Deo, cujus Verbum Scriptura Sacra est, in esse dependeat, illius certe veritas indubitato non poterit aliunde cognosci, quam ex Dei verbo. Juxta hanc etiam *normam* Sacramenta non tantum aliquid repraesentant potentiae cognoscenti, sed una exhibent id,

id, quod significant, quae *signa exhibitiva* appellari conve-  
verunt. Eant ergo illi, & cum institutione Christi transi-  
gant, qui Sacramenta tantummodo *signa* memoriae con-  
servandae causa instituta esse, frustra contendunt, quorum  
analogia *signi* & *signati* exinde quoque conficitur, quod *signa*  
haec exhibeant, non vero nudum respectum & similitudi-  
nem habeant cum *signato* seu corpore & sanguine Christi  
juxta *Form. Concord.* pag. 758.

## XIX.

**P***Hilosophiae Primae sive Metaphysicae pars specialis, alias Pne-  
matologia dicta, quae de Deo agit, proprie est Metaphy-  
sica Aristotelica, uti ex Philosophi libris Metaphysicorum videre  
est, ad quam methodum etiam recentiores Cartesiani Meta-  
physicam suam instruere solent, exemplo Antonii Le Grand in  
Philosophia Cartesiana. Ita vero quam maxime usus Meta-  
physicae hinc elucet, prout exponit ea, quae de Deo ex lu-  
mine Naturae innotescunt, & demonstrari possunt, quae  
non excludit Augustana Confessio artic. I. Atque hujus rei spe-  
cimen insigne extat Summe Reverendi, Excellentissimique Domi-  
ni Doct. JOHANNIS FAVSTII, beatae memoriae, Theologi &  
Philosophi Argentoratensis multo Celeberrimi, in examine Theolo-  
giae gentilis, quam docuit Aristoteles: Infinitum Deum esse,  
Aristoteli etiam cognitum fuisse, ostendit modo laudatus  
Vir, egregie vero haec conducunt ad explicandum illud,  
quod *Formul. Concord.* Deum vocat aeternum pag. 763. in-  
finitum & omnipotentem ibidem. Infinitum enim in *Metaphysica*  
dicitur, vel *ratione durationis*, quomodo sine initio & sine  
durat Deus, estque aeternus. Vel *infinitum* dicitur *ratione*  
*essentiae*, quod caret finibus essentiae, propterea, quod a nullo,  
alio dependet, a quo ejus essentia certis limitibus circumscribi  
possit. Et cum essentiae terminos nullos agnoscat Deus, ne-  
que praesentiae, neque potentiae limites figi sibi patitur, sed  
extendit illa potentia sese ad omnia, quae vult posse, ut nullum*

possibile vim & virtutem ipsius terminare queat, ex quo recte *Omnipotens* dicitur. Id quod ex *infinita* & *independente* essentia Dei demonstratu facillimum esset, nisi in praesenti prolixitatem fugerem.

## XX.

**H**inc vero, ne quis *Symbolis nostris* obscuritatem objiciat, sciendum; Nostrates imitatos Ecclesiae primitivae Patres ex Philosophis Christianos, quorum Theologiam, cum terminis istis involverent Scholastici, *Libri Symbolici* non potuerunt, nisi illorum vocabulis uti, contra quos pugnant. *Postquam enim Scholastici admiscuerunt Doctrinae Christianae Philosophiam* (quae verba sunt *Form. Concord. pag. 53.*) & *maxima turba nugacissimorum Scriptorum in sententias, qui non genuerunt sua scripta, sed tantum compilatis superioribus, transfuderunt illas opiniones ex aliis libris in alios, istis terminis fidem explicare coeperunt*, Vnde factum est, ut in Scholastica Doctrina, quae plus habet rixarum Philosophicarum, quam Pietatis, multae falsae persuasiones haerent, juxta *Form. Concord. pag. 231.* quae, non nisi intellectis & explicatis ipsorum vocabulis, commode refelli possent.

## XXI.

**L**iquet vel ex his, quam insignem usum *Philosophiae Primae* studium diffundat in *Libros Symbolicos*, prolixius idem quidem ex iisdem deduci posset, nisi brevitatis studium in praesenti commendatum mihi haberem. Juvabit tamen haecenus dictis, pauca quaedam annectere, quae praestantissimum *Philosophiae Primae* usum, non minus solide evincunt atque demonstrant. Ac primo quidem silentio haud praetereundum esse censeo, quod *Doctissimus subtilitatum Magister, Scaliger*, procul dubio propria edoctus experientia, de *Metaphysica* ponderose differit. Multum juvare ad acumen ingenii excitandum sedulum *Philosophiae Primae ac Mathematicae* studium, cum utraque disciplina non solum de summa

cer.



certitudine, & evidentia primorum principiorum sibi gratuletur, sed & ad accuratissime docendum aptissima audiat, hinc etiam videre est apud nostrates Theologos, quod in *Doctrina Theologica* tradenda haud abstinuerint ejusmodi terminis, quos *Philosophia Prima* sibi explicandos sumit, ut potius gravissima *Theologiae Capita terminis Metaphysicis* solidae subjecerint explicationi, unoque saepe vocabulo multa complexi fuerint, e quorum numero, vel unum saltem hic allegare sufficiat. Is autem est *B. Doct. KOENIGIVS* in *Theologia sua Positiva*, quem librum aureum, terminis e *Philosophia Prima* desumptis, refertum esse, vel primae saltem ejus paginae, Lectori sedulo sufficienter declarant.

## XXII.

**Q**uemadmodum autem sic in genere, de insigni *Philosophiae Primae* usu in ipsa *Theologia* constat, ita in specie etiam eximie sese exerit, primo in *Didacticis* & *docendo*, ubi uno saepius termino tota rei alicujus natura concipi ac comprehendi potest. Secundo in *Elencticis contra Pontificios* usus conspicitur, quorum Concilium Tridentinum, ne quidem intelligi potest sine *Metaphysica*, nedum refutari. In controversiis cum *Calvinianis* nemo feliciter progredietur sine *Philosophiae Primae* cognitione, quandoquidem illorum argumenta a ratione petita, sed male applicata sunt, ut e. g. contra *Communicationem idiomatum*, quia *finitum* non est capax *infiniti*, contra praesentiam realem corporis & sanguinis Christi in *Sacra Coena*, quum corpus unum non potest esse simul in pluribus *locis* seu *ubi*, quia est *quantum*. *Sociniani* fere ex *Scriptura* nihil afferunt, & si quid afferunt, accommodant ad sensum & captum rationis, ut, tres personas non posse esse unam *essentiam*, non posse multiplicari personas, non multiplicatis *essentiis*. *Syncretistae*, qui eo allaborant, ut per distinctiones Scholasticas diversas conciliare queant religiones, nequaquam sine hac scientia solide  
refu-

refutari possunt, ut, quando negant, imaginem Dei fuisse homini *naturalem*, bona opera esse *necessaria* ad salutem, esse *causam sine qua non*, & quae sunt alia, cum veritate pugnantia. Denique tertio apparet & *Philosophiae Primae* usus in *Exegeticis* sive *hermeneuticis*. Ita quando *Genes. cap. I. vers. 31.* dicitur. *Tum vidit Deus omne, quod fecit, & ecce bonum (erat) valde.* Certe qualis haec sit *bonitas*, & quae intelligi debeat, magnum lumen subministrat *Metaphysica*, quae hanc ipsam *bonitatem* nempe *essentialem* considerat, & explicat, juxta quam & diaboli *boni* dicuntur, scilicet quoad *spiritualem essentiam*, imo omnibus *entibus* communis est. *Conf. Summe Rever. Excellentissimique Dn. Doctoris PFEFFINGERI, Patroni, Praeceptoris, atque Cognati mei, ad cineres usque pie colendi, erudita Dissertatio de MALO.*

### XXIII.

**N**equē difficilis foret labor, eundem *Philosophiae Primae* usum, in ipso quoque *Jure ac Medicina* solide demonstratum sistere, quem & lubens ostenderem, nisi me Theologiae cultorem esse scirem. Interea licebit tamen, vel paucissimis probationem hujus rei attingere. Sane in *Jure* doctrina magni momenti est, de *causis*, de *adjunctis*, de *principio*, de *causa instrumentali*, *socia*, de *bonitate* actionis, de *regula* juris, & quae sunt ejusmodi alia, scitu dignissima pariter atque necessaria, quorum terminorum genuina explicatio, non nisi ad *forum Metaphysicum* spectat. Ut proinde animum non subeat miratio, quod senex quidam Juris Doctor celebris adhuc *Metaphysicae* operam dederit, cognita eius necessitate, de quo *Magnificus Dn. Doct. SCHRAGIVS, in programme in orationem inauguralem ad Professionem Log. & Metaph. Summe Reverend. Dn. Doct. HARTSCHMIDII b. m. testatur.* Non minus in *Medicina* ejusmodi occurrunt, quae ex *Metaphysicis* repeti debent. Quaeritur enim in ea de *affectionibus* corporis naturalis, de *causis* morborum in *genere*, & in *specie*, de *signis* prognosticis, de

de *simplici & composito*, quae sane, quid sibi hi termini velint? non *Medicina* exponit, sed tanquam praecognita ex *Philosophia Prima* supponit.

## XXIV.

**Q**Vanta igitur cum utilitate sit conjunctum *Philosophiae Primae* studium, puto satis perspicue in capite hoc secundo a me expositum esse. Equidem non eo progredi veritas jubet, ut *Metaphysicam* Christianum facere dicam, quamvis nec eam Christiano impedimento esse persvasum mihi habeam; sed necessitatem ejus modo adstruo, a qua omnibus, ad solidam eruditionem contendentibus, summopere commendari meretur. Verum enim vero dolendum est, quod nostra aetas in ea inciderit tempora, quibus studium *Philosophiae Primae* adeo odiosum existit, ut non sine ratione ea repetam verba, quibus in *Dissertatione quadam Solenni, Anno 1702. Argentorati a me habita*, jam usus sum, & sic concepta leguntur. Si ergo tantus *Philosophiae Primae* seu *Metaphysicae* usus est, quid quaeso faciunt illi? qui etiam si futuri sint Theologi, eam tamen non aliter ac monstrum quoddam horrent, illamque non modo inutilem appellant, sed & in addiscenda illa tempus perdi, imo impie consumi, nimis imprudenter affirmant. Coecos ne, an intellectu destitutos, hos appellem? utrumque si dicam, haud male egero. Coeci enim sunt, cum non videant, quod tamen clarum est; & destituti intellectu sunt, cum nolint scire, quod tamen illis prodest. Audiamus de his futuris Theologis, egregiis scilicet talibus aliquando evasuris, judicium *Celeberrimi cujusdam Professoris Argentoratensis, Excellentissimi Domini Doct. HARTSCHMIDII, Praeceptoris atque Hospitis quondam mei, post fata etiam colendi, Auditoribus suis in Collegio publico communicatum, quando non offensionis studio, sed veritatis amore inductus, dixit: Ich halte darvor, das wann einer ein rechter Theologus, und kein postillen Reuter verlangt zu werden, demselben sonderlich jetzt zur Zeit höchst nöthig seye, das er auch die Metaphysic studiere, und dess wegen beisse*

D

ich

ich nicht gut, das man auff andren Vniversitäten dieselbe gantz und gar abgeschaffet. Quae vero illae sint, Pietistas potius vocare, quam eas nominare placet. Sed mirum non est, quod *Philosophiam Primam* ad orcum relegent, cum ipsi *Libri Symbolici* a frivolo eorum iudicio, & impia condemnatione non sint liberi. Neque hujus malitiae causa lateret, sed in promptu est, quia istorum licentiam fidei articulis insultandi coercent, nec Eclogismum & Indifferentismum eorundem libere grassari permittunt. Quare hanc Fanaticorum impietatem jure detestor, & pro autoritate *Librorum Symbolicorum* cum Beato meo Praeceptore atque Hospite, Magnifico DN. D. ZENTGRAVIO pie consentio, in *Summa Juris Divini* a pag. 494. usque ad pag. 498.

### CAPVT III.

#### XXV.

**D**icturus denique adhuc aliquid de *Certitudine Theologiae Naturalis*, eam de Deo intelligo scientiam & cognitionem, quae solis naturae luminis datis, vel repertis principiis, *Dei existentiam*, *Ejusque attributa* ostendit, atque demonstrat. Non equidem omnia *Dei attributa*, sed quaedam haec scientia cognoscit, nec perfectam dico, sed imperfectam post lapsum scientiam rerum Divinarum, talem tamen ac tantam, ut ex intentione Divina juxta illam homines possint ac debeant Deum quaerere, si forte palparent *Eum*, ac invenirent; Quamvis non longe absit ab uno quoque nostrum. Et hujus quidem argumenti necessitatem, exhibuit non tantum eorum temeritas, qui propositionem hanc, *Deus est*, per se notam esse, negarunt; sed & eorum audacia, qui inculpabilem in homine ignorantiam dari posse, asseruerunt, *quod sit Deus*; & illorum quoque levitas, qui hanc propositionem, *Deus est*, negant ejus evidendiae esse, ut absque demonstratione veritas ejus percipiatur. Horum expugnanda pertinacia est, & maxime eorum, qui honesto titulo non nemini, *impia Theore-*

*Theoretici*, mihi vero aperto nomine, *Athei speculativi*, solent appellari.

## XXVI.

**H**Vjus ergo fundamenta suppeditat Auctor non ignotus, *Antonius Le Grand. in Instit. Philos. part. secund. cap. 1. & in Prolegom. pag. mea 119. §. II. Theologiae Naturalis Certitudo planissime apparet, cum ad jacienda humanarum disciplinarum fundamenta requiratur, & absque Dei cognitione nulla scientia de quacunque re haberi possit. Is vero Philosophus dici nequit, quæ Dei cognitionem non habet, & qui Eum, ut par est, non veneratur.* Hinc *Cartesius* principio primo, articulo vigesimo nono, *Certitudinem, Naturalis Luminis* sibi a Deo dati, ex eo probat, quod *Deus* verax est, quod relatione originis & principii ad intellectum nostrum refertur. Verum omnino est, & pie dictum, quod absque *Dei* cognitione, neque scientia, neque scientiarum fundamenta firma haberi possint; sed cognitio *Luminis* naturae eo tamen se non porrigit, ut possimus juxta illam *Deum* venerari, ut par est, siquidem ita asserenda est *Lumini* naturae sua vis, & auctoritas, ut tamen, nec nimium ipsi tribuatur, nec religio naturalis, quae hodie magna illa dici solet, introducatur, quandoquidem illa scientia de *Deo* naturalis, vera quidem est, sed imperfecta. Illud etiam, quod de *Naturali Lumine* dicit, verum effatum est, quod habitum naturalem in omnibus hominibus esse contendit, quo ex insito quodam lumine *existentiam Dei*, & quaedam *Ejus attributa* cognoscant. Sed, si quis dixerit, esse tantum principia reperta, & hanc propositionem, *Deus est*, non ad congenita principia, sed ad conclusiones artificiales esse referendas, is, etsi videatur *Lumini* naturae multum tribuere, praecipuam tamen partem & fundamentum certitudinis eximium, immerito subruit, & aufert. Denique supposita *existentia Numinis*, *veracitas Dei certitudinem Theologiae Naturalis* non male probat. Sed, si *Theologia* ista in ambitu, tanquam praecipuam & principalem partem ipsam

*Existentiam Dei* complectatur, de *veracitate* non constabit certo, nisi *existentia Dei* probata, cum affectiones propriae rei, rem ipsam esse, jam ante supponant.

## XXVII.

**A**rgumenta nunc, quibus haec *Certitudo* a Recentioribus demonstratur, etiam expendenda sunt. *Autor dictus cit. loc. c. 2. pag. 123. ex idea Dei* illum existere concludit. Per *ideam* vero nihil aliud intelligit, quam rem ipsam perceptam seu cogitatam, prout est objective in intellectu, de qua ait? illam *ideam*, quae substantiam repraesentat, plus realitatis habere, quam aliam, atque sic *ideam* illam, quae *Ens Infinitum* exhibet, plurimum habere realitatis. Supponit porro, nihil esse in effectu, quod non sit in causa: his jam suppositis, hoc argumentum superstruit. Omnis entitas rei, repraesentatae per *ideam*, debet habere causam, in qua formaliter, vel eminenter continetur, sed habemus *ideam Dei*, in quantum est substantia perfectissima, omnimodam limitationem excludens, quae in nulla re creata continetur. Ergo *idea illa Deum* habere debet pro *Causa*. Cujus minorem deinde probat, quoniam omnia praeter *Deum finita* sunt, cum ergo *idea* ista sit *infinitae substantiae*, necesse esse, ut a *Deo solo*, qui *infinitus* est, procedat.

## XXVIII.

**S**i vero, quod de argumento hoc videtur, dicendum est; non sine ratione videtur esse iudicium *Voetii*, additum Theologiae Naturali Reformatae, quod hoc argumentum multis limitibus sit circumscribendum, quibus tandem positus, novum non sit, atque diversum ab iis, quae ante *Cartesium* multi afferebant. Quod enim de *idea Dei* in me argumentum ducitur, id mihi quidem, omnibusque piis, qui *Deum* esse credunt, certum est. Sed si *theoretice impius*, sive *Atheus speculativus* negaverit, talem in se *ideam* esse, vel si negaverit, talem *ideam* necessario inferre objecti cogniti existentiam, unde is convinci possit, sane non apparet. Multae enim

enim sunt mentis nostrae cogitationes, quibus imagines quasdam repraesentamus, ac si res ipsae essent, sed nemo inde certo statuatur, ex conceptu meo & imaginatione, res ipsas ideo poni in rerum natura, cum falsum sit, *ideam* semper oriri ab esse quodam actuali. Verum est, quod si arguas, *Deus* indidit istam *ideam*, Ergo *Deus* est, quod tum argumentum ab effectu ad causam, & contra, bene concludatur; sed novum nequaquam sit, sed potius in omni antiquorum Philosophia receptum. Tandem vero hoc argumentum non videtur diversum esse ab eo, quod Theologi dicunt, notitiam *Dei* insitam, quae non a recentioribus excogitata est, sed fundata in humana natura, tradita a *Paulo, Roman. 2.* & exposita a Theologis Orthodoxis. His similia fere cum scripsisset, *B. D. Wagnerus* in *Examine Elenctico Atheismi speculativi cap. 9. pag. 20. §. 46.* subdit: *Vt taceamus absurditatem hujus Cartesianae methodi, qua per dubitationis aleam de rebus omnibus, ad scientiam earum contendendum esse contendit, quippe non intelligendo, sed dubitando faciens, ut etiam in hac ardua quaestione de existentia Dei faciat, ut non intelligat, quod intelligendum est, via potius ad scepticismum & Libertinismum strata, quae Atheis regia est.*

## XXIX.

**S**tatus a timore conscientiae innato, argumentum ducit firmum, nec dubium est, quin scelerati isti, etiamsi ad confessionem haud facile adigantur, in conscientia tamen convicti, sentiant istos conscientiae horrores, licet tanquam indurati, stimulis istis malitiose repugnent. Exemplum insigne est *Julius Caesar Vaninus*, qui, vulgato *Amphitheatro aeternae providentiae Divino Magico*, & alio, de admirandis Naturae Reginae, Deaeque mortalium arcanis, anno millesimo sexcentesimo decimo nono, *Tolosae* condemnatus est, ut exsecta prius lingua, vivus combureretur, de quo *Gramondus ἀπόπτης lib. 3. Histor. pag. 210.* scribit: quod ejus furor tantus fuerit, ut cum juberetur a iudicibus veniam petere, a Deo, Rege, & *Justitia*, negaverit, id se facere posse; a Deo non, quia Eum esse, non esset certum, nec ipse crederet;

non a Rege, quod nihil in eum peccaverit, & Rex se nullum fidelio-  
rem subditum habuerit. Non a Justitia seu Judicibus, quod in  
eos non peccasset, illi vero ipsum maxima injuria afficerent; Et si  
diaboli essent in inferno, ut quidem hoc credi & dici solet, se potius  
devoturum, judices ut ab illis auferrentur. Hic furor erat ho-  
minis tam indurati, & pro sceleribus poenas luentis easdem,  
quas & Parisiis dederat ante *Gotofredus de Valle*, edito libro  
Atheistico, *de arte nihil credendi*. Ut taceam *Aretinum*, & sive  
vero, sive falso nomine *Matthiam Knutz*, hominem sceleratissi-  
mum, qui chartis aliquando Jenae sparsis, sequentes articulos  
docuit. *Non esse Deum. Non esse diabolium. Magistratum aestiman-  
dum esse nihili. Tempora contemnenda, Sacerdotes rejiciendos. Loco  
horum scientiam & rationem, cum conscientia esse conjunctam, quae  
doceat, honeste vivere, neminem laedere, suum cuique tribuere. Con-  
jugium & scortationem nihil differre. Vnicam esse vitam, post quam  
nec praemium, nec poena datur, quem Doct. Musaeus peculiari  
scripto refutavit.*

### XXX.

**H**is itaque hominibus impiis, blasphemis, & ad Orcum da-  
mnandis, *Internum conscientiae dictamen* primo omnium  
opponendum, ex quo maxime *Certitudinem Theologiae Natu-  
ralis* elucere puto; Etsi vero impii illud negent, in se esse, vel  
contrarium etiam afferant, horum tamen perversa mens vim  
argumenti, ejusque veritatem non evertet. *conf. Dissertatio  
Physica Solennis, de Deo ex Lumine naturae cognoscendo, per partes  
physicas, An. 1706. Argentorati, sub Praesidio Magnifici Domini Re-  
ctoris, Experientissimi Dn. D. HENNINGERI, a me habita, ejusque  
cap. III. §. XLII.* Ea namque conscientia, quae cuique dictat, ho-  
neste vivere, neminem laedere, unicuique suum tribuere, ho-  
mini impio, extra metum poenae posito, non persuadebit ob-  
ligationem, ut illud dictamen sequatur, nisi superiorem agnos-  
cat potestatem, ista imperantem. Cum ergo Athei vim  
quandam cogentem & jubentem, & fateantur, & coguntur  
fateri, necesse est, agnoscant causam, unde dictamen istud rati-  
oni inditum, cujusque autoritate ad obsequendum obligen-  
tur,



tur, quod nonnisi a Superiore provenire, certa demonstratione constat. *A posteriori & effectu certitudo* porro ostendi potest: *Mundi* siquidem *partes*, & varia *corpora* ipsum corpus esse, ostendunt, *corpus* autem *compositum & finitum* esse, nec puto Atheum negaturum esse. Si igitur *mundus finitus* est, a se certe esse non poterit, sed Superiorem habebit causam, unde sit productus, quam causam & originem, sive *Deum* dicas, sive *infinitum ens*, perinde erit, & cognitio *Dei* certa habebitur, & invicta.

## XXXI.

**E***Vndem* porro *mundum* si intuearis, ejusque pulchritudinem & magnitudinem, quemadmodum infinitum *Ens!* dari probat; ita & *infinitam potentiam* magnitudo mundi certo persuadebit. Intuere quaeso, quisquis es, o homo! principes hujus mundi, tam *potentes*, ut ad nutum eorum vel tremant, vel gaudeant, infinitae hominum myriades, & ecce! homo flos momento perit, annon altius quid deprehendes? quod omnes istos, & *potentia*, & firmitate superet, ne tandem omnia in sese ruant. Hunc vero *Omnipotentem* nos *Deum* appellamus. Si considerare porro libeat ordinem istum, quo stas temporum vicibus, & quaeque sua lege ordine certissimo fluunt, atque sese excipiunt; possibile non est, hominem mentis sanae vel cogitare posse, haec fortuito ita accidere, ac nullo regente non incerta, sed certissima ferri ratione. Quae vero, nisi *Suprema Mens* hanc machinam tantae molis vel reget, vel sustentabit? Est vero convictae mentis argumentum, *Deum* negare, & naturam substituere, unde cuncta deriventur, quae veri *Dei* essentiam & proprietates notant. Videntur certe stulti & insipientes isti idem facere, ac si quis negaturus, dari homines, concederet tamen, esse aliquam machinam, quae induta carne, ossibus, nervis, venis, sanguine, aliisque, vivat, sentiat, intelligat, & libere agat, quaecumque agit. Perinde, inquam blaspheme nugantur, qui convicti admirandis operibus, Naturae ista omnia tribuunt, ne *Deum* esse, concedere cogantur. Nec minus certum est quod

quod ex eo desumatur argumentum, omnia ad *fines suos* tendere, cumque diversissimae sint rerum naturae, et contrariae quoque operationes, unumque adversus alterum agat, impossibile est, quin *Supremum Numen* detur, quod dis-sita ista ita in unum cogat, ut, ne dilabantur subito omnia, ad *finem* unum conspirent.

## XXXII.

**N**equē vero omittendum est argumentum, quo *Certitudo Theologiae Naturalis* adstrui solet, scilicet *omne, quodcunque est, vel productum est, vel non productum*, si quid jam sit, quod non *productum* est, hoc est, quod *Aeternum Numen Deumque Optimum Maximum* appellamus. Si vero *omne productum* sit, quod Athei volunt, necesse est, ut ab aliquo *productum* sit, si enim a nullo, tum neque *productum* erit; si ab aliquo, de eo pari ratione quaeram, *productum* ne sit, an non? atque ita, vel in infinitum processus institueretur, quem homo, mentis compos, nunquam in corde suo admiserit, etiamsi ore fateatur: vel dabitur aliquod, quod *Summum Numen* est, & independens, quae ipsa est Divina essentia. Accedit & hoc, quod si tandem aliquid sponte statuatur *productum* esse, non tamen ab alio, sed a se ipso, sequeretur, ex nihilo aliquid se ipsum *produxisse*, quod perinde impossibile est, ac si statuas, primos homines, qui fuerunt, generasse se ipsos, antequam essent, & cum nihil essent, dedisse sibi essentiam & naturam, ut aliquid essent, & existerent. Quibus invictis argumentis plura addi possent, pro *Certitudine Theologiae Naturalis*, nisi haec existimarem sufficere, quae jam dixi. Conferatur Celeberrimorum Theologorum Argentoratensium triga, scilicet B. Dn. D. ZENTGRAVII Liber egregius de Orig. Verit. & immut. Reli-tud. Jur. Nat. Art. 2. pag. 23. & seq. itemque Magnifici Dn. D. WAGNERI, Praesidis Argentoratensium Ecclesiarum Evangelicarum Gravissimi, ac Praeceptoris pie colendi, erudita Dissertatio, de Notitia Naturali Existentiae Divinae. Denique B. Dn. D. HARTSCHMIDII Doct. Dissert. de Theologia Naturali. Caeterum Aeterno huic Prae-potentique Numini, sit pro larga assistentia Honor atque Gloria in sempiterna secula AMEN.

05 H 684


ULB Halle

3

004 229 193







Farbkarte #13

B.I.G.

I. N. F.  
DISSERTATIO ACADEMICA,  
QVAM

ADSPIRANTE DIVINA GRATIA,

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,

SERENISSIMO PRINCIPE REGIO AC DOMINO,

DN. FRIDERICO AVGVSTO,

ELECT. SAXON. HEREDE,

DE

INSIGNI DIALECTICAE

AC PHILOSOPHIAE

PRIMAE VSV IN LIBRIS

SYMBOLICIS,

ET

CERTITVDINE THEOLO-

GIAE NATVRALIS

IN ALMA LEVCOREA

PRAESIDE.

DN. M. IO. IAC. Ferber / ARGENT.

S. S. THEOL. CAND. ET AMPLISSIMI ORD. PHILOS.  
ASSESS. DIGNISSIMO

AD DIEM VII. MART. M DCC VIII.

PVBLICAE DISQVISITIONI SVBICIT.

AVGVSTVS GILBERTVS,

LIEBENWERDA-SAXO. S. S. THEOL. ET PHIL. STD.

IN AVDITORIO MAIORI